

quæ nempe deprehenduntur in omnibus corporibus, quæ nostris experimentis vel observationibus subjici possunt, atque ideo proprietates illæ dicuntur *universales*: aliæ autem proprietates in certis duntaxat corporum speciebus observantur. Rursus autem proprietates universales vel eadem in corporibus perpetuo manent, vel per gradus crescunt atque decrescunt, hoc est, ut loquuntur Scholastici, *Suscipiunt magis, vel minus*. Ad primam proprietatum universalium classem pertinent *extensio, impenetrabilitas, vis inertia, mobilitas, quietis & figura possibilitas*, sive, ut vulgo dicitur, *quiescibilitas, & figurabilitas*. Ad secundam classem referuntur, *vis gravitatis, & vis attractionis*, has enim vires juxta certam legem decrescere demonstrabimus. Quod spectat proprietates speciales, eas scilicet quæ certis duntaxat corporibus conveniunt, has enumerare non licet; tot enim sunt, quot diversæ Corporum species. Ad proprietatum illarum ordinem pertinent *fluiditas, elasticitas, pelluciditas* &c. Has autem proprietates sive universales, sive particulares hic nominasse satis sit, eas deinde suis locis definire convenientius erit. Hic autem cavendum est, ne proprietates universales cum essentialibus confundantur; fieri enim potest ut in corporibus certas perpetuo observemus qualitates, quæ tamen ad ipsam corporum essentialitatem non pertineant. Itaque monendi sunt studiosi adolescentes ut corporum proprietates illorumque effectus accurate contemplantur, quæstiones autem scholasticas quæ de proprietatibus essentialibus agitari solent